

HISTORIA DIPLOMATICA
FRIDERICI SECUNDI

SIVE

CONSTITUTIONES, PRIVILEGIA, MANDATA, INSTRUMENTA QUÆ SUPERSUNT
ISTIUS IMPERATORIS ET FILIORUM EJUS.

ACCEDUNT EPISTOLAE PAPARUM ET DOCUMENTA VARIA.

COLLEGIT, AD FIDEM CHARTARUM ET CODICUM RECENSUIT, JUXTA SERIEM ANNORUM DISPOSUIT
ET NOTIS ILLUSTRAVIT

J.-L.-A. HUILLARD-BRÉHOLLES.

AUSPICIIS ET SUMPTIBUS

H. DE ALBERTIS DE LUYNES,

UNICUS EX ACADEMIAE INSCRIPTIONUM SOCIIS.

TOMUS I.

PARS I.

PARISIIS

EXCUDEBANT PLON FRATRES,

36, VIA DICTA VAUGIRARD.

MDCCCLII. ω

(*legendum* novembris), die sabbati, anno ab incarnatione Domini nostri Jesu Christi 1198, indictione 2, obiit Constantia illustrissima Romanorum imperatrix, semper augusta et regina Siciliae; posita in sarcophago sequenti die dominica (1). AMATO, *De principe templ. Panorm.*, p. 448, *ex vet. martyrologio Sacelli S. Petri.*

ANNO 1199. — INDICTIO 2.

Innocentius papa L. de Aquila comiti Fundano scribit quod cum ipsi Constantia imperatrix nuper defuncta Friderici filii sui tutelam et regni curam commiserit, ipse regnum ingredi disponit; mittit autem ante faciem suam J. tituli Sancti Stephani in Celio monte presbyterum et G. Sancti Adriani diaconum cardinales.

[Januario
Incunte.]

(Eldder. BALUZE, *Epistol. Innocent. III*, lib. I, n° 563, tom. I, p. 322, et R. PIRRUS, *Sicil. sacr.*, t. I, p. 118; hic vero minus integre.)

Innocentius, etc., nobili viro L. de Aquila, comiti Fundano, etc. Quod in obsequio et fidelitate inclyte recordationis Constantie imperatricis for-

(4) Litterae autem Innocentii diem mortis ad 27 novembris indicant. « Cum imperatrix parum post annum a morte imperatoris ageret in extremis, statuit [Gualterum regni cancellarium] familiarem regium cum Panormitanensi, Montis Regalis et Capuano archiepiscopis. Balium vero regni domino papae dimisit ab omnibus juramento firmandum, quoniam ad eum spectabat tanquam ad dominum principalem, constituens ut singulis annis durante balio perciperet de proventibus regni triginta millia tarenorum, et si quas expensas pro regni foret defensione facturus, omnes sibi ex integro redderentur. Sicque debitum carnis exsolvit. » *Gest. Innocent. III*, cap. XXIII. Diem conditi testamenti noscimus ex fragmento quod ad ecclesiam Panormitanam pertinet, eisdem verbis a Pirro, Inveges et Mongitore relato: « Actum in palatio Panormitano, XXV novembris, II indictione. »

titer perstitisti, quod inimicis regni restitisti viriliter et eos etiam expugnasti, gaudemus plurimum et ex hoc future devotionis tue sumimus argumentum; sperantes, immo etiam pro certo tenentes quod jam nunc in regni tuitione fortius perseveres, cum ad nos preter id quod regnum Sicilie ad jus et proprietatem Ecclesie pertinet specialius, ipsius defensio spectare noscatur. Si quidem imperatrix predicta legitimum condidit testamentum quo nobis charissimi in Christo filii nostri Friderici Sicilie regis illustris tutelam et curam regni concessit, ac postmodum XXVII die mensis novembris viam est universe carnis ingressa. Unde cum de fratrum nostrorum consilio regnum, dante Domino, ingredi disposuerimus ad ipsum solidandum in ejusdem regis fidelitate et obsequio et tranquillitate, pace ac justitia conservandum, dilectum filium nostrum J. tituli Sancti Stephani in Celio monte presbyterum et G. Sancti Hadriani diaconum cardinales, quos inter fratres nostros sincero prosequimur dilectionis affectu et specialis benevolentie brachiis amplexamur, ante faciem nostram duximus premitendos (1), qui et adventum nostrum prenuncient et de benevolentia et gratia quam ad eundem regem et regnum gerimus vos efficiant certiores. Ideoque nobilitatem tuam rogamus, monemus et per apostolica tibi scripta mandamus quatenus cardinales ipsos tanquam legatos Apostolice Sedis suscipiens humiliter et devote vel ad ipsos vocatus accedens, que tibi ex parte nostra duxerint proponenda humiliter audias et efficaciter prosequaris. Ad obsequium etiam nostrum et regni defensionem taliter accingaris ut cum mandatum nostrum ad te iterum emanarit, nihil te prorsus detineat quin si necesse fuerit nos sequaris, vel ad resistendum inimicis regni et Ecclesie juxta dispositionem nostram procedas.

Laterani,
26 Januarii.

Innocentius papa familiaribus regis notum facit quid pro regno

(1) Ineunte anno legatos regnum ingressos et septima die januarii apud Sanctum Germanum morantes videmus; ubi statim Marcualdus ad eos obsidendos advenit. Cf. *Chronic. Fossae novae, Ricc. de S. Germano et Gest. Innocent.*, cap. XXIII.